



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**BREVIS|| INSTRVCTIO|| AD CORROBORAN-||DOS AC  
IVVANDOS MO-||RITVROS, EOS PRAESERTIM|| qui ob  
flagitia sua, publica Iudi-||cum sententia morti ad-||dicti  
sunt:||**

**Isella, Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1588**

**VD16 I 344**

Articulus VI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60044)

## 42 INSTRVCTIO AD

minus eum, qui peiora meritis erat, tanta cum patientia expectauit, & in tempore, quo ipse fatiari non potuit Deum offendendo, à Domino defensus est; in tempore, quo currebat sine freno, vt præda fieret Dæmonibus, Dominus illum retraxit, & Dæmonibus prohibuit, ne deuorarent. Cumq; potuisset eum iuste reprobasse, & non impediuisse, quo minus in tãtis odijs & homicidijs, in tot rapinis & scele-ribus moreretur, & tandem in flamas infernales præcipitaretur, vt ibi sine fine intolerabilibus tormentis cū Diabolis cruciaretur; misericorditer tamen eum sua gratia præuenit, dando illi tempus pœnitendi, idque beneficio mortis præuisæ, vt tandem ad æternam perueniret beatitudinem, eaque cum ciuibus cœlestis curiæ fruere- tur.

Vitam hanc  
non vitam,  
sed mortem  
esse  
Greg. Hom.  
37. in Euan.

*Articulus VI.*

Potest etiam captiuo explicari, hanc vitam, si cum futura conferatur (teste Gregorio) non vitam, sed mortem esse appellandam: continuè namq; fame, siti, doloribus, infirmitatibus, laboribus, alijsq; tribulationib<sup>9</sup> cruciari, non est aliud, quàm longa morte consumi,

fu  
re  
n  
la  
le  
v  
fe  
fo  
re  
c  
m  
u  
m  
fi  
S  
ti  
v  
n  
re  
u  
m  
fl  
sp  
ru  
ra  
co  
b  
to



IVVANDOS MORIENTES. 43

fumi, longo exilio, & perpetuo carcere affligi. Cognouit hoc Dauid in omni gloria & regni sui felicitate, ideoq; lamentatur, quod incolatus eius prolongabatur. Et in alio loco orat Deū, vt de custodia educat animam suam: sed & Paulus Apostolus cupiebat dissolui, & esse cum Christo: & conquirebatur, quod non sat citò à morte corporis huius liberabatur. Nec immeritò: secundum namque Ambrosium vita hæc tot malis est plena, vt mors potius beneficium, quàm pœna sit appellanda. Hanc ob causam dixit Salomon; *Melior est dies mortis, die natiuitatis*. Per natiuitatem enim homo venit ad labores & tribulationes; per mortem verò mittitur ad requiem & refocillationem.

Id etiam quidam Ethnici cognouerunt, qui dies festos agitabant in morte suorum; in natiuitate autem flebant. Si illi, qui vitam aliam non sperabant, gauisi sunt in obitu suorum, mortemque inter bona numerarunt; cur Christianus in morte contristabitur, & non potius exultabit, diemq; tãto aget sollemniore quãto post hanc vitam expectat meliorem?

**Lætetur**

Psal. 119.

Psal. 141.

Philip. 1.  
Rom 7.

Ambr. Ser.  
40.

Eccli. 7.

Perfarum  
mos.



44 INSTRVCTIO AD

Lætetur igitur damnatus, quod natus est in bona sorte Christianorum, & diem agat festū, quod dignus est mori desiderata morte Sanctorum. Debet autem sese prosternere in faciem, & Domino gratias agere, qui dignatus est tantam cum eo facere misericordiam, potestque dicere; Domine mi, non sum dignus tanta gratia, qui tam citò veniam ad fruendum iucundissima tua facie: peccata namq; mea superant ipsas cœli stellas, & arenam maris: & non sum dignus vocari filius tuus; imò ne minimus quidem tuus famulus.

*Articulus VII.*

Mortem cō-  
munem esse  
& naturalē  
ideoq; mi-  
nus metuen-  
dum.

1. Reg. 14.  
Hebr. 5.

Psalm 88.

Debet quoque damnatus patienter ferre mortem, cū naturalis sit, & communis omnibus. Quare scriptū est in libris Regum, quod *omnes morimur, & quasi aqua dilabimur.* & S. Paulus ait; *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* Moriuntur debiles & robusti, sapientes & ignorantes, nobiles & ignobiles, Domini, Marchiones, Principes, Duces, Reges, Imperatores, Cardinales, & summi Pontifices. Non est homo qui viuit, & non videbit mortem. Imò ipse Dominus Dominorū,  
Rex

R  
c  
v  
n  
le  
d  
e  
m  
m  
e  
m  
m  
st  
  
ce  
er  
&  
ta  
ho  
ce  
H  
Et  
ri  
qu  
na  
en  
lo  
m  
no